This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lt
1
961

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

Lt 1.961



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
19 Sept., 1884.

Q. F. F. F. Q. S.

INSTITUTO ARCHAEOLOGICO ROMANO

IMPERII GERMANICI

DECEM LUSTRA FELICITER PERACTA

AMICA MENTE GRATULATUR BONAQUE VOTA FACIT

UNIVERSITAS LITTERARUM IULIO-MAXIMILIANA

INTERPRETE

CAROLO LUDOVICO URLICHSIO

PHILOLOGIAE P. P. O.

INEST COMMENTATIO DE VITA ET HONORIBUS TACITI.

DUODECIMUM INSTITUTI WAGNERIANI PROGRAMMA.

WIRCEBURGI.

EX TYPIS STAHELIANIS.

MDCCCLXXIX.

Lt 1.961

1868.
Salisbury Fund.

Quae nuper de vita Agricolae a Tacito scripta ab hominibus doctis non sine ira et studio ita disputata sunt ut scriptoris fidem acriter et impugnarent et defenderent ipsumque quod secutus esse videretur in edendo libello consilium indagarent [1]), ea perlegi equidem pleraque omnia neque in ullam commentationem me incidisse gratus profiteor, unde non aliquem fructum perciperem. Unum plerique aut neglexisse aut non satis attendisse videbantur idque ad rationem quam in re publica probavit secutusque est Tacitus gravissimum, cursus quem in foro et curia tenuit, cum aequalibus illustribus comparationem. Quem quo accuratius persequamur, ab origine scriptoris profecti ad id tempus vitam perducemus, quo recessit a curia litterisque totum se dedidit.

Patre igitur prognatus est procuratore Caesaris anno vel 55 vel 56. Quam coniecturam, iam a. 1868 in dissertatione Virceburgensi (de vita et honoribus Agricolae p. 25) prolatam eo confidentius nunc repeto, quoniam a *Borghesio* a. 1840 occupatam esse e volumine VIII. scriptorum intellexi, quod a. 1872 editum insigni *Waddingtonis*, viri clarissimi, comitate nuper ad me missum est. Ibi enim p. 322 quae de loco notissimo histor. I, 1 disputaverat his verbis vir summus comprehendit: „per conseguenza il suo anno natalizio dovrà stabilirsi o nel 55, o nel 56.“ Neque quid apte opponi possit, video. Cornelium enim Tacitum Belgicae provinciae procuratorem Plinius n. hist. VII, 76 ‚non pridem‘ i. e. Claudii fere aetate se vidisse narravit, qui cum inter annum 47 et 52 in Germania meruerit Belgicamque ipse adierit, patrem scriptoris eiusque filium natu maiorem ibi conspexisse putandus est. Congruunt igitur tempora, congruunt nomina, praeter Cornelium quendam

---

[1]) *Gantrelle*, sur la vie d'Agricola. Revue de l'instruction publique en Belgique 1870. Contributions etc. 1875. Revue XXI, p. 217 sqq. 1878. *E. Hoffmann*, der Agricola des Tacitus, Zeitschr. f. d. österr. Gymn. 1870. *Stahr*, Vorrede zur Uebersetzung der Annalen. I—VI. 1870. *Hirzel*, über die Tendenz des Agrikola von Tacitus. Progr. d. Gymn. in Tübingen. 1871. *Junghans*, über Tacitus' Agricola. Progr. des Johanneums zu Lüneburg. 1872. *Andresen*, die Entstehung und Tendenz des Taciteischen Agricola. 1874. *Jäger*, quae fides Tacito in Agricola habenda sit. Hildesiae 1874. *Eussner*, über Tacitus Agricola. Jahrb. f. Philol. 1875. Ausführungen zu Tacitus Agricola. Blätter f. d. bayer. Gymn.-Schulw. 1877. *Güthling*, de Taciti Agricola. Progr. des städtischen evangel. Gymnasiums zu Liegnitz. 1878.

Verum Tacitum, qui in eadem provincia matribus Alaterviis votum solvit (*Brambach* C. I. R. n. 623) insolita, congruunt denique patris filiique condiciones. Constat enim e procuratorum praesertim ordine senatum a Caesaribus ita suppleri solitum esse, ut aut ipsi inter praetorios vel tribunicios adlegerentur (cf. *Hirschfeld*, Unteisuchungen I, p. 245) aut liberis eorum aditus ad senatoriam dignitatem patefieret. Inter quos cum qui Belgicae rationes procurabant, e ducenariis opibus et gratia eminerent, Plinii amico ad altiorem gradum, ad quem vel inviti a Claudio promovebantur (cf. Sueton. Claud. 24), adspirare licebat. Ille tamen intra equestrem nobilitatem substitit. Itaque nihil probabilius est, quam filium aliquot annis post ἐκτράπελον illum sublatum a Vespasiano ad spem senatorii ordinis admissum esse. Nam quaesturam non fere petebant nisi qui in amplissimo ordine aut genere commendati aut principis liberalitate recepti versabantur, recipiebantur autem adolescentes equestres lato clavo attributo (cf. *Mommsen*, röm. Staatsrecht II, p. 869 et 880). Ita Ovidius latum clavum et vigintiviratum adeptus ad angustum clavum, cum in curiam non intraret, rediit (trist. IV, 10, 29 sqq.); Voconius Romanus, postquam censum senatorium nactus erat, ut in ordinem promoveretur Plinius a Traiano petiit (ad Trai. 4); Vespasianus latum clavum diu aversatus est, eundem iuveni cuidam impetravit (Sueton. Vesp. 2 et 4); Iunius Avitus latum clavum induit, antequam magistratum peteret (Plin. ep. VIII, 23); Aper diem quo latus clavus oblatus est, a quaestura distinxit (Tac. dial. 7); Erucius Clarus ab imperatore primum latum clavum, tum quaesturam, denique remisso anno ius tribunatus petendi accepit (Plin. ep. II, 9). Itaque Tacitus equestri loco natus ut tribunus militum laticlavius in legione mereret (cf. *Mommsen*, röm. Staatrecht I, p. 445), imperatoris alicuius beneficio obtinuit. Quem Vespasianum fuisse ipse his verbis hist. I, 1 indicavit; *Mihi Galba Otho Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti; dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim, sed incorruptam fidem professis neque amore quisquam et sine odio dicendus est.* Ante Vespasianum nemo bene de adolescentulo meritus est; primum autem quod accepit beneficium ordinis mutatione continetur quam ante quaesturam nactus est: itaque non de magistratu senatorio sed de muneribus loquitur, quibus ad illum aditus parabatur. Inter quae cum praeter tribunatum civilis vigintiviratus quaedam administratio fuerit, hanc quoque senatus suffragiis oblatam peregisse putandus est, et quae erat illius aetatis consuetudo, antequam militiae causa urbe in provinciam excederet. Hactenus igitur ab prudenti *Haasii* (p. IX) demonstratione discedo, ut non tam de vigintiviratu, quippe qui non ab imperatore sed a senatu tribueretur, sed de lato clavo cogitem, utroque autem et militare et civile munus cum Borghesio l. l. primis scriptoris verbis comprehendi existimem. *Dignitatem tribuno militum honores petituro*, ut Plinii verbis utar ep. VI, 31, ita tribuit Vespasianus ut non senatorium gradum sed ordinem saltem senatorium concederet. Neque igitur quae *Nipperdeius* p. IV. et *Sauppius* Philol. (XIX. p. 262 sq.) protulerunt argumenta, quibus simplicem illius loci interpretationem infirmarent, nunc

probaverim et quae de sacerdotio cuius virorum doctissimorum sententia motus inesse memoriam conieceram, dixeram relinquo. „La *dignitas aucta* significa indubita„tamente la questura, giacchè chi conosce l'esattezza di Tacito deve insistere sull'„*aucta*, parola propriissima per quella magistratura, che dal semplice rango di cava„liere elevava al grado di senatore". Ita rectissime Borghesius, qui ne id quidem improbabiliter monuit, cum a Domitiano dignitas non *provecta*, quo verbo Tacitus plerumque solo utitur, sed sicut hist. III, 46 *longius provecta* dicatur, non praeturam tantum sed etiam qui praecessit magistratum, sive aedilitatem sive tribunatum, indicari. Unum addo: non *sub* Tito et Domitiano, sed *ab* utroque principe beneficia in iuvenem collata esse. Quem inde consequitur in omnibus magistratibus petendis candidatum principis fuisse, quod nisi magna apud imperatores Flavios gratia floruisset, fieri non potuit.

Rationibus igitur a praeturae anno qua a. 88 functum esse constat (cf. annal. XI, 11) retro subductis paulo maius quam quod legitimum erat inter quaesturam et praeturam i. e. inter vigesimum quintum et tricesimum aetatis annum intervallum reperies. Quod prout altero aut ultimo Titi anno quaestorem factum vel designatum esse statuimus per duos vel tres annos extenditur. Equidem nunc ultimum, i. e. a. 81 praefero. Minuitur enim discrimen aetatis inter Tacitum et Plinium, a. 61 vel 62 natum, qui fere aequalem se praedicat ep. VII, 20, et praeturae tarditas. Ita homo a. 56 natus suo anno i. e. die 5. mensis Decembris 81 quaestor, intermissis qui e lege vacui erant, annis, anno 84 aedilis vel tribunus factus poterat sane iam anno 86 praeturam expectare. Quam ne tum temporis peteret, causis diversis prohiberi potuit. Nam et eadem qua socer nuper e provincia reversus laborare potuit invidia atque tum demum cum princeps *Agricolae prudentia leniebatur* in gratiam cum eo redire et proximo anno ludorumque saecularium splendori reservari. Quod quidem eo veri similius redditur, quod antequam praeturam consequeretur, luculento benevolentiae documento a principe exornatus est. Quindecimvirum enim sacris faciundis se iam ante praeturam creatum esse ordine verborum scriptor indicavit, cum annal. XI, 11 de ludis saecularibus a Domitiano editis haec refert: *isque intentius affui sacerdotio quindecimvirali praeditus ac tunc praetor.* Quod fuit permagnum in homine novo. Nam fuerunt quidem haud pauci adolescentes in amplissimum collegium priusquam ad altiorem honorum gradum ascenderent recepti; ac praeter eos quos in commentatione de vita Agricolae p. 25 commemoravi statim post vigintiviratum Clodius Pupienus (*Henzen* 6512), Sex. Iulius Severus (*Wilmanns* 1183), inter tribunatum legionis et quaesturam Fabius Valerianus (*Wilm.* 1193 cll. *Henzen* Annal. 1863 p. 277), item ante quaesturam Aemilius Paullus (*Wilm.* 1129), Valerius Poplicola Balbinus Maximus (*Henzen* C. I. L. VI, 1531 et 32), post quaesturam Valerius Helvidius Priscus (ib. 1530), Petronius fortasse equitis filius (ib. 1488), post tribunatum Mummius Cornelianus (ib. 1464), ante praeturam Nonius Arrius Mucianus (*Borghesi* VI, 61), Arruntius Stella (Stat. silv. I, 2, 176 sqq.), ante consulatum Annius Crescens (l. l. 1336) Nonius Paulinus (*Borghesi* VII, 487); atque Seneca de benef. VII, 28

1*

sacerdotii candidaturam mediam inter consulatum et quaesturam intericit, verum nobili plerique loco nati itaque parentum gratia commendati, ex equitum liberis fortasse unus Petronius ille, sed praefecti praetorio filius. De Valerio enim Flacco (argon. I, 5), in cuius locum fortasse Tacitus successit (nam *nuper amissum* luget Quintilianus X, 1, 90), nihil constat. Neque qui a Claudio Caesare nominantur Vestini procuratoris filii, e quibus unus a. 65 consulatu functus est, quem primum sacerdotiorum gradum adepti sint, apparet. Ad summa collegia referendum esse inde consequitur, quod senatum rogavit imperator; cum autem dignitatis initium fuerit, sodales potius Augustales factos esse putaverim quam ad quatuor amplissima collegia admissos, simulque in senatorium ordinem, ut par erat in tali sacerdotio, receptos esse. Ceterum quae Iulia domo regnante valebat ratio, qua sacerdotiorum candidati nominabantur a collegis, commendabantur ab imperatoribus, commendati a senatu eligebantur (cf. *Mommsen*, Staatsr. I, p. 28 sqq. 1022 sqq.), utrum postea quoque obtinuerit an omnes sacerdotes codicillares fuerint, etsi certo non constat ac Plinius a Traiano auguratum vel septemviratum petiit (ad Trai. 13), tamen causa videtur nulla esse, cur antiquus mos mutatus esse videatur, ac nominationis certe dies ad senatum potissimum videtur pertinere (Plin. ep. II, 1. IV, 8). Utut est, vis sacerdotii tribuendi penes principem erat. Cuius dignitatis, in qua collegas videtur habuisse Stellam, maiorem natu T. Aquilium Proculum, consulem sub Domitiano (*Henzen* 5018, *Waddington* n. 113), minorem aliquot annis Pompeium Falconem, qui anno 98 tribunatu plebis functus est (*Henzen* 5451. *Waddington* n. 133) conscientia mentem hominis nequaquam in rebus divinis creduli tantopere implevit et penetravit, ut quotiescumque de caerimoniis et religionibus loquitur, sermone mirum in modum sollemni et sacris accommodato utatur (cf. annal. II, 54. 85, III, 58. 64. 73. IV, 16. 58. XI, 27. 32. XII, 42. 64. XV, 7. 44. 47. hist. I, 62. II, 2. III, 72. IV. 53). Itaque sacris quae pro salute Domitiani imperatoris fiebant, votorum praesertim nuncupationi (annal. XVI, 21 sq.) quotannis religiose ac diligenter adfuisse putandus est; neque minore haud dubie industria magistratus atque senatoris officia exsecutus est.

Hactenus igitur Tacitus in urbe versatus est, quam an ante quaesturam praeter brevem militiam reliquerit, non constat. Quod enim eleganti coniectura *Haasius* p. IX. Agricolae comitem in Aquitania provincia fuisse statuit, si modo dialogum recte scriptori attribuimus, temporibus refellitur. Ac solebant quidem adolescentes iuris praesertim periti tamquam contubernales legatorum in provincia versari (cf. *Marquardt*, röm. Staatsverwaltung I, p. 392. *Mommsen*, Herm. IV, p. 123), male enim de tribunatu militum in provincia a legionibus vacua cogitavit vir doctissimus, sed inter eos Tacitus qui anno 76 oratores de arte sua disputantes audivit, eodem anno esse non potuit. Eam igitur imaginem praesidis optimi, quam Agr. 9 floridis coloribus depinxit, ex amici cuiusdam narratione accepit acceptamque ex ingenio pariter ac Plinius paneg. 19. 56 Traiani egregii ducis speciem excoluit.

Romae autem antequam honores capesseret, et sapientiae quantum satis erat Romano ac senatori futuro et iuris studiis imbutus eloquentiae, ut ait ipse, bonarum artium principi, totum se dediderat. Apud Quintilianum, clarissimum tum Romae dicendi magistrum, declamasse cum per se verisimile est tum litteris Plinii VI, 6, 3. 9 comprobatur. Pari enim studio uterque Iulii Nasonis filium amplexus est, viri litterati et non studiorum tantum verum etiam studiosorum amantissimi, qui dum quotidie Quintilianum audit, adolescentibus in eodem ludo versantibus innotuerat. Extant etiam praeter dialogum quaedam doctrinae et sermonis quo magister uti solebat, vestigia [1]). In quibus studiis eodem haud dubie dicendi genere usus est quo Quintilianus discipulos Ciceronis exemplo proposito instruebat, quo factum est ut Plinio non imitandus tantum sed imitabilis quoque esse videretur. Cuius studii luculentum specimen videtur reliquisse dialogo de oratoribus conscripto fortasse aliquanto prius quam edito. Nam etsi in prooemio et in temporum notatione ea leguntur quae a Titi aetate aliena Domitiano regnante vix sine gravi scriptoris periculo edi potuerunt, tamen tum cum proprium et suum scribendi genus formaverat, vix ad admirabilem facundiam lacteam quasi ubertatem adiuncturus erat. Neque Plinium libro ante multos annos ad se misso tantopere delectatum fuisse putaverim, ut ep. IX, 10 et 14 non tantum unum alterumque locum laudaret sed etiam itinere instituto se amicumque una pergere laetaretur. Quapropter sicut eum librum, quem VII, 20 Plinius se legisse scribit, ad oratoriam artem pertinuisse existimo, ita librum quem corrigendum Tacitus *discipulus discipulo* i. e. eiusdem artis studioso miserat (ep. VIII, 7) hunc potissimum libellum mortuis quorum sermones imitatur, nuper absolutum iisque quae temporum mutatio ferebat, additis mutatisque expolitum fuisse coniecerim. Manifesto Quintiliani iudicium secutum esse iam primo enuntiato indicatur, ubi de causidicorum et oratorum discrimine agitur (cll. Quintil. XII, 1, 23—25). Utroque igitur discipulo summam eloquentiae qualem tempora ferebant laudem consecuto Quintilianus, qui eorum qui vivebant neminem nominavit (cf. *Mercklin* mus. Rhen. XIX, p. 9), his verbis gloriatur: *sunt enim summa hodie quibus inlustratur forum ingenia, namque et consummati iam patroni veteribus aemulantur et eos iuvenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria.* (Cf. *Ritter*, prooem. I, p. XX. cll. Plin. ep. IV, 13, 10).

---

[1]) Quintilian. X, 1, 125 [Seneca] placebat propter sola vitia . . cuius ingenium facile et copiosum.

Id. XII, 11, 3 vidi. . . Domitium Afrum valde senem cotidie aliquid ex ea quam meruerat auctoritate perdentem . . quae occasio de illo fuit dicendi, malle eum deficere quam desinere.

Id. X, 1, 108 Servilius Nonianus . . et ipse a nobis auditus est, clari vir ingenii et sententiis creber, sed minus pressus quam historiae auctoritas postulat.

Tacit. annal. XIII, 3. fuit illi viro ingenium amoenum et temporis eius auribus accommodatum.

Id. ann. IV, 52. aetas extrema multum etiam eloquentiae dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam.

Id. XIV, 19. Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia vitae.

His igitur virtutibus Agricolae probatus gener ab eo electus est atque postquam socer consulatu abiit et antequam in provinciam profectus est, uxorem duxit. Quod quando factum sit, ambigitur. Nuper enim *Nipperdeius* in observationibus antiquitatis Romanae, quas indici lectionum Ienensium hibernarum a. 1871 praemisit, p. 16 Agricolam in priore anni 77 parte consulem statim mense Iulio eiusdem anni Frontino in Britannia successisse contendit. Quem secutus est *Peter* cum libellum Taciti a. 1876 docto commentario illustravit. Equidem p. 25 plurimorum sententiam secutus consulem factum esse a. 77, in provinciam anno proximo 78 successisse statueram. Item *Borghesius* VI, p. 35 sq. consulatum gestum esse contendit a Kalendis Iuliis a. 77 usque ad finem anni, a. 78 in Agricolam in provinciam venisse. Scilicet tum consulatus semestres fuisse putabat vir summus, quam opinionem postea ita mutavit, ut inde a Galbaė imperio plerumque annum in terna nundinia [1]) quadrimestria divisum esse, interdum in unius nundinii locum bina bimestria successisse arbitraretur. Quem morem certe ad Traiani usque aetatem valuisse *Henzenus* in ephemerid. epigr. I, p. 187 sqq. docuit. De qua re etsi perpauca comperta habemus, tamen quoniam illa aetate nullum ante a. 101 certum trimestrem consulatum novimus, plures autem sive quadrimestres sive bimestres [2]), eatenus viri doctissimi auctoritati concedo, ut a quadrimestris praesumptione proficiscendum esse putem. Sed ne sic quidem de consulatu Agricolae certius quidquam affirmare licet quam quod ex administratione praetoriae provinciae consequitur. Cum enim consules a. 77 ordinarii Caesares fuerint, Vespasianus et Titus, licuit illis quidem fasces ante statutum tempus deponere, quod si admiseris, Agricola iam primi nundinii extrema parte fungi potuit. Nam de tertio propterea non est quod cogites, quoniam tum amplius triennium in provincia Aquitania mansisset. Nec scio, cur *Waddingto* n. 104 pro certo adfirmaverit, mense Septembri consulem fuisse. Utrum igitur e duobus nundiniis habuerit, incertum est. Antea autem Aquitaniam minus triennio rexit, postquam a legatione legionaria redux a Vespasiano censore inter patricios adlectus est. Ac reverterat quidem cum Ceriali, nam Frontini legatus non fuit, i. e. ante mensem Maium a. 74, quo Cerialis consulatu altero functus est. Itaque si inde ab aliquo huius anni mense per annos 75 et 76 in provincia remansit, potuit sane in primo nundinio ad consulatum accedere. Neque nego *Nipperdei* rationes cum Taciti narratione melius convenire, secundum quam Agricolam, iam cum ex Aquitania abscedebat, Britanniae opinio comitabatur. Hoc quoque accedit percommode, quod Frontinus solitum triennium non excessisse putandus est.

---

[1]) Nundinia recte scripsit *Mommsenus* e codicibus praeeunte *Spanhemio*.

[2]) Ita iam Claudius Vespasiano bimestrem consulatum attribuit (Sueton. Vesp. 6), idemque extremo suo anno consulem neminem ultra mensem quo obiit i. e. Octobrem designavit (Suet. Claud. 46); itaque aliquot consules sive quadrimestres sive, quod eodem redit, bimestres creavit. Trimestres autem iam a Caesare instituti (Sueton. Caes. 76), ab Augusto repetiti (id. Aug. 26), etiam a Tiberio inter alios haud dubie nonnumquam dati sunt (Dio LVIII, 20). Ludorum sumptus respiciebantur (Dio LX, 27).

Praetura transacta Tacitus urbem, in qua artissima cum socero necessitudine coniungebatur, reliquit, haud dubie, quod vel vocabulo *condicione* Agr. c. 45 indicatur, non sponte nec taedio urbis, sed ut muneri cuidam praetorio vacaret. Quis primus illum locum recte intellexerit, non invenio, ceterum iam a. 1828 *Walchius* p. 428, postea *Waltherus* et a. 1847 *Nissenus* p. 8 administrationem provinciae praetoriae significari animadverterunt. Quamquam nuper etiam *Hirzelius* in libello quem de consilio libri de Agricolae vita conscripti edidit p. 28 neminem tam audacem fuisse ait, ut quadriennium illud legatione provinciali expletum fuisse putaret. Eandemque sententiam, quam ego quoque in com. p. 33 probaveram, a. 1840 *Borghesius* tulerat in epistula vol. VII, p. 322 inserta. Idque rectissime. Nam e tribus quae praetorius homo peregre explere potuit, muneribus unum quod censibus ordinandis continebatur brevius erat quam quod per plures annos continuaretur, alterum legationem legionariam de qua cum multis ego quoque aliquando cogitabam, imperator cautus prudensque homini pacis artibus insigni, militiae inexperto non videtur attribuisse. Itaque sicut Nerva, Plinius, Cornutus Tertullus legioni post praeturam non praefuerunt, sic Tacitus provinciam togatam nullo exercitu instructam pro praetore administrasse putandus est. Quae cum per temporum condicionem senatoria esse non potuerit, quippe quam quinquennio post magistratum praetorii sortirentur, *Roulezium* enim in comment. de legatis Belgicae (com. acad. Bruxell. 1875 p. 21) fefellit opinio —, nihil reliquum est nisi ut praetoriam provinciam ab imperatore ei demandatam esse statuamus. Inter septem autem quae illa aetate patebant nullam aptius eligi quam Belgicam *Borghesius* l. l. rectissime animadvertit eamque coniecturam duobus argumentis firmavit, altero debiliore gravissimo altero. Nam quod pater in eadem provincia procurator fuerat, poterat saltem filium ad maiorem administrationem conferendam utpote a regionis cognitione non prorsus alienum principi commendare, sed non debebat. Gravius est alterum. Tam accuratam enim Germaniae, eius praesertim quae ad Rhenum vergit cognitionem neque antiquae tantum memoriae, sed recentissimarum rerum alibi quam in ipsa populi fortissimi vicinia vix acquirere potuit. Illic igitur eum sancte et severe magistratum gessisse et moribus viri gravissimi consentaneum est et Suetonii universo testimonio probatur Domitiani imperium his verbis c. 8 laudantis: *Magistratibus quoque urbicis provinciarumque praesidibus coercendis tantum curae adhibuit, ut neque modestiores umquam neque iustiores extiterint.* Ibi igitur perspectis Germanorum virtutibus iisque cum imperii labentis rationibus comparatis et Caesaris Sallustii Livii, ad quos vicinorum memoria ducebat, libris diligenter lectitatis proprium quo postea excelluit narrandi genus tam ingenio quam imitatione excoluit.

Anno autem 89 statim postquam praeturam deposuit in provinciam profectum esse atque a. 93 Romam rediisse idem *Borghesius* monuit. Ego in mus. Rhen. XXXI p. 527 post annum 91 in provinciam profectum et post triennium sub finem a. 93 (ita mutabam verba scriptoris) revocatum esse conieceram. Usus enim

eram loco Dionis l. LXVII, 12, quo consulatus auguria enarrantur ad explicanda verba Taciti c. 44: *principem Traianum videre quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur.* Incertam coniecturam esse concedo, nam est sane quod mireris contigisse ut incolumibus Flavii Clementis liberis successoribus ut videbatur futuris (Suet. Dom. 15) Agricolam Traianum imperaturum esse praevideret, sed et priore et posteriore anno pariter admirabile. Ac potuit saltem iuvenis Traianus qui a. 86 Romae (vit. Hadr. 1) fuit, viro militari, patris ut videtur familiari, iam praetor notescere, postea strenuo a. 88 in Germaniam itinere peracto reversus antequam Tacitus in provinciam abiit, pluris etiam aestimari. Probabilius tamen est, Traianum consulem ordinarium designatum sub finem anni 90 oculos et mentes aequalium in se convertisse. Scilicet unum constat, Tacitum mense Augusto a. 93 tum cum mortuus est Agricola Collega Priscinoque (sic enim legendum esse *Waddingto* n. 125 monuit) consulibus reversum esse. Neque statim Romam revocatus est, cum Baebius Massa ante adventum eius condemnatus sit (cf. Plin. ep. VI, 93. mus. Rhen. l. l.). Itaque si a fine anni 93 retro per quadriennium rationes subducimus, ad anni 89 autumnum pervenimus. Quaeritur igitur, quo anni tempore Tacitus in provinciam mandatus sit. Quae quidem de praesidum provincialium temporibus quaestio impeditissima nondum ad liquidum perducta est. Aliquid fortasse conferre licebit. Scilicet videtur Domitianus certum quoddam tempus ordinandarum provinciarum observasse, quod quidem in tanta negotiorum mole prudentissimo consilio fecit, idque in finem unius anni vel initium proximi incidere. Nam ludi quaestorii, quos a Claudio institutos sed postea omissos restituit, quibus solis gladiatorum pugnae publice instruebantur (cf. *Mommsen*, Staatsr. II, p. 990. 503), celebrabantur mense Decembri, ut antea a quaestoribus designatis usque ad quartum, sic postea usque ad vigesimum quartum diem eiusdem mensis (C. I. L. I, p. 407). In quibus cum per omne gladiatorum spectaculum nanus ante pedes principi staret *auditus est, dum ex eo quaerit, ecquid sciret, cur sibi visum esset ordinatione proxima Aegypto praeficere Mettium Rufum* (Sueton. Dom. 4.). Itaque ordinationem legitimam fuisse eamque aut exeunte anno aut primis novi anni diebus habitam esse sequitur (voc. enim *proxima* praeter unum locum, nisi fallor (Octav. 101) ubique Suetonius ad futurum tempus retulit (cf. Iul. Caes. 7. 37. 79, Octav. 16, Tiber. 65, Calig. 14, Nero 17) Si igitur vere anni 89 Tacitus urbem reliquit ac vere a. 94 successori provinciam tradidit, quinquennium integrum peregre habitavit; sin post mortem soceri statim ante tempus revocatus est, aliquot saltem mensibus quadriennium excessit. Quare nescio an satius sit discessum eius saltem in proximum annum 90 reicere, nisi, quod fateor mihi etiamnum arridere, Traiani consulatum i. e. ver anni 91 mutato apud Tacitum numero praeferas.

Romam revertenti sperare licebat fore ut brevi consul crearetur. Ita Valerius Asiaticus statim postquam provincia Belgica decessit consul designatus est (Tacit. hist. I, 59 cll. IV, 4 et 6), Glitius Agricola Nerva imperante et legatus Belgicae et consul fuit (*Borghesi* V, p. 344), Licinius Sura qui ei praecessisse videtur, sicut

in altero consulatu, incerto anno, sed paulo post ac fortasse consul tum erat cum Traianus, qui imperium illi debuisse fertur (Victor ep. 13) a Nerva adoptatus est. Ac fuerant sane antea haud pauci genere ignobiles satis longo post praeturam intervallo consulatum adepti (cf. *Nipperdey* l. l. p. 10), sed semestrium consulatuum angustiis retardati partimque muneribus publicis occupati. Recte igitur *Mommsenus* Hermae vol. III, p. 88 Tacitum a Domitiano posthabitum et neglectum esse contendit. Atque etiamsi non spretum esse concesseris, id tamen falso ab obtrectatoribus scriptori obici senties, cumulatum beneficiis ab imperatore usque ad eius mortem et ingratum fuisse. Scilicet res sic se habuisse videtur. Sicut socer ita gener apud Flavios imperatores gratia floruit, alter bellica laude, civili alter insignis, atque amasse se bonos principes, odisse malum scriptor ipse hist. I, 1 significat. Odisse autem tum primum coepit cum in urbem reversus quanta rerum commutatio facta esset, coram animadvertit, quamque sinistri rumores de soceri exitu circumferrentur, intellexit. Se quoque domino iam saevienti invisum et suspectum esse credidit, atque non se solum sed optimum quemque neglegi vidit. Sic Frontinus, quem magnum virum eo ipso mense quo ille tandem ad alterum consulatum pervenerat appellavit, antea Domitiani comes et amicus tum neglegebatur, qui quidem postea eius avaritiam acerbe notavit de aquaed. § 118; Corellius Rufus, cum Frontino illius aetatis spectatissimus (Plin. ep. V, 1, 5) in suburbano latens Domitianum ut latronem vehementi odio persequebatur (ib. I, 11, 8); Verginius Rufus secessibus se abdiderat (ib. II, 1, 8. VI, 10); Nerva Corellii bonorumque omnium amicus intrepidus, qui si quid recte et libere dici audiebat, laudabat (ib. VII, 33, 9), a. 90 principis in consulatu collega tum tamen vix a caede defensus, neque tamen, quod levissimus auctor Philostratus Apollon. VII, 8 narrat, dum Nervam et Crassum confundit, Tarentum amotus. Ita seniores: e iunioribus Traianus, quem Domitianus antea pariter ac Tacitum honoribus meritis exornaverat, post consulatum a. 91 in urbe otiosus remansit atque cum legationem consularem sperabat, praeteritus (Plin. panegyr. 94) cum reliquis senatoribus vir fortis ac strenuus periclitatus *timuit* (ib. 44); Plinius et Cornutus Tertullus in cursu honorum si non impediti, saltem non provecti (ib. 90), alter etiam delatus apud imperatorem (Plin. ep. VII, 27, 14); qui eloquentia disertissimos oratores aequabat, Salvius Liberalis in exilium missus. Quid igitur Tacitus? Frigide ab imperatore exceptus per tres annos usque ad eius mortem nihil publice egit quam quod ordinis et sacerdotii condiciones ferebant. Ita votorum nuncupationibus haud dubie interfuit, aliquantum a Thrasea olim eadem dignitate praedito diversus (annal. XVI, 21). In senatu autem fecit quod plerique fortissimorum et integerrimorum aequalium: caput demisit. Neque enim, quod Thraseae crimini datum erat, abesse eum a curia (ann. XVI, 22), illi nequedum sexagenario neque quantum constat excusato licuisse putaverim, neque si licuisset, otium captaturum fuisse, consulatus spe nondum abiecta. Quid quod iudicio senatus, quo acerrimi libertatis defensores condemnati sunt, se interfuisse conqueritur, dum suam amicorumque calamitatem cum Thraseae

iudicibus comparat. Scilicet tunc quoque curia armatis circumdata etiam bonos pavor occupaverat (l. l.), nunc princeps ipse aderat in senatu experturum se quam carus esset senatui professus, reis etiam praesentibus ab accusatoribus manus intentabantur. Ne forensibus quidem causis famam propagabat, si quidem *silentium fori* Agr. 3 et 39 recte intellegimus, nam poetarum et oratorum artes tum quoque floruisse constat, a centumviralibus iudiciis cur abstineret causa nulla erat. Quae quanta mentem animumque aegritudine affecerint, eloquentissima querela declaravit. Veram autem miserrimae senatus condicionis imaginem describi loco prorsus simili Plinii comprobatur ep. VIII, 14, 8: *prospeximus curiam, sed curiam trepidem et elinguem, cum dicere quod velles periculosum, quod nolles miserum esset . . cum senatus aut ad otium summum* (quam *desidiam* appellat Tacitus) *aut ad summum nefas vocaretur et modo ludibrio modo dolori retentus numquam seria, tristia saepe censeret? eadem mala iam senatores, iam participes malorum multos per annos vidimus tulimusque, quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata fracta contusa sunt.* His si addideris alterum eiusdem scriptoris locum paneg. 76: *quis antea loqui, quis hiscere audebat praeter miseros illos, qui primi interrogabantur? Ceteri quidem defixi et attoniti ipsam illam mutam et sedentariam assentiendi necessitatem quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur*; videbis utrumque senatorem eosdem sensus iisdem fere verbis exprimere. Atqui scripta sunt temporibus diverssimis, a Tacito a. 98, cum duobus tum decem fere annis post a Plinio. Itaque non temporis causa ut nescio quid vel adsequerentur vel excusarent viri consulares, quorum alterum saltem Traiani amicissimum fuisse constat, eadem damnata a senatu decessoris memoria conquesti sunt, sed quia merito se lamentari existimabant. Utrum recte necne nihil moror; neque enim is sum qui quantum in Domitiano qui Tiberium admirabatur imitabaturque, prudentiae et industriae imperatoriae fuerit, non perspiciam, atque non pauca ex iis quae *Dubois-Gauchan* in libro quo Taciti saeculique mores illustravit ad definiendas Caesarum senatusque mutuas rationes attulit mihi probari profiteor. Unum hoc dico, optimum quemque e senatoribus, etiamsi ipse a principe, nisi sibi metuebat, prudenti virtutum aestimatore promotus honoribusque auctus erat, quod senatus frangeretur ac debilitaretur, aegre tulisse, neminem a suspicionibus nec se neque amicos liberos vidisse.

Atque eosdem amicos Plinium Tacitumque habuisse tum e Plinii epistulis apparet (cf. IV, 15. V, 14 al.) tum Dasumii testamento comprobatur, (annal. 1831. *Wilmans* 314) in quo praeter alios nominantur Minicius Iustus Corellii affinis, Iunius Avitus, Pontius Laelianus, illius consularis qui a Frontone p. 183 ed. Rom. tamquam vir gravis et veteris disciplinae laudatur, avus vel propinquus, Licinius Nepos vir acer et fortis (Plin. ep. IV, 29), Satrius Rufus, Aquilii Reguli adversarius (V, 11), postea mediarum in senatu partium (IX, 13, 7), Minicius Annianus iure consultus, ad quem Plinius epistulas II, 16. VII, 12 misisse videtur, Fabius Rusticus, libertatis omnes amantissimi.

Quod autem Tacitus dum per aetatem licet utrique officio vacare non destitit, sanctorum et integerrimorum virorum exemplum secutus est. Ita alter Cato, Thrasea Paetus a. 63 post Poppaeae partum et a. 66 cum Tiridates urbem intraret, Neroni quin coram cum senatu gratularetur a principe prohibitus est; Verginius Rufus, quem summis meritisque laudibus Tacitus hist. II, 68 et Plinius ep. II, 1. IX, 19 extulerunt, a. 63 consul ut nimii honores humanumque fere modum egressi Poppaeae et Caesari decernerentur auctor senatui fuit et iis quae dd. 21. et 22. mensis Ianuarii in Capitolio solvebantur votis et quae secuta sunt, nam Nero mense Aprili in urbem rediit, (cf. *Marin.* fr. Arval. ad tab. 17 b) interfuit; Vespasianus praetor Caio Caesari blanditus et gratificatus est (Sueton. 2); Barea Soranus, quo neque sanctior neque probior quisquam erat [1]), consul designatus Pallanti liberto Claudii honores et pecuniam attribuit (Tac. ann. II, 53). Omnes cum ex officio tum e senatoria necessitate.

Neque vero omnes boni eandem rationem sequebantur. Inter acerrimos libertatis assertores ii fuerunt qui cum Thrasea vel affinitate vel studiis sapientiae stoicae coniungebantur: Helvidius Priscus, eius gener, illius filius cuius frater a. 51 legatus legionis fuit (*Nipperd.* ad Tac. ann. XII, 49) [2]), Iunii Mauricus et Rusticus, Herennius Senecio, quorum poenas flebili oratione Tacitus miseratur (Agr. 3. 44). Ille consul fuit incerto anno, fortasse a. 87 (Act. Arval. 13. Sept. C. I. L. VI, p. 514 . . . PRISCO) ut coniecit *Mommsenus*, (*Henzenus* de Mario Prisco cogitavit, quod si ita est, solito prius ad proconsulatum Africae pervenit) et certo a Domitiano creatus postea metu temporum in secessu egerat; hi Nervae fere aequales amicique quorum alter an ullo magistratu post quaesturam functus sit non constat. Veterem senatorem fuisse constat, Nervae et Traiani amicum; atque iam a. 68 Nerone interfecto in senatu verba fecit, quaestor vel potius aedilis, ut apud Tacitum qui de luxu referunt (ann. III, 52), de libidine plebis conquestus (Plut. Galb. 8). Rusticus in praetura substitit, Senecio, postquam quaestor provinciae Baeticae fuit, strenuus causarum patronus honores non petiit. Omnes philosophorum doctrinam secuti quae Seneca de tranq. animi c. 3 suaserat, observaverant: *parcius se inserat officiis et cum dilectu inveniet aliquid, in quo utilis civitati sit. Militare non licet? honores spectet; privato vivendum est? fit orator . . . scias in afflicta re publica esse occasionem sapienti viro ad se proferendum . . , faciendum erit, si in rei publicae tempus minus inciderit ut plus otio ac litteris vindices.* Tamen omnes una a. 93 innoxii futilibus criminibus circumventi perierunt, Mauricus in exilium actus est. Quorum sectam nescio an secuti sint Avidius Quietus Thraseae familiaris [3]) (Plin. ep. VI, 29), Arrius

---

1) Quam parvam difficultatem vocat *Waddingto* n. 89, vereor ne gravissima sit. Acratus enim cum post incendium urbis a. 64 emissus sit (Tac. ann. XV, 45), Soranus a. 62 pro consule Asiae Pergamenis, qui illum repulerunt, parcere non potuit.

2) Utrumque confudit *Mommsenus* in ind. Pliniano.

3) Proconsulem Asiae sub Domitiano fuisse putat *Mommsenus* in indice Pliniano, legatum pro praetore Galatiae Traiano imperante idem C. I. L. III, n. 355 et hunc et Mettium Modestum, quem in

Antoninus, qui Nervam imperium adeptum miseratus est in senatu (vita Pii c. 1), Licinius Nepos severus ac tristis iudex (Plin. IV, 29. V, 9). Nobili horum virorum contumaciae quam pluribus locis Quintilianus notavit (I. prooem. 10. XI, 1, 33. XII, 1, 6), plaudebatur in ludis rhetorum, a philosophicorum gregibus, quos etiam Traiano imperante plurimos fuisse Plinius III, 11, 6 refert, Demetrii illius cynici qui Vespasianum adlatraverat stoicorumque sequacibus, qui a Domitiano censurae nomine ad tempus ex urbe pulsi erant. His Plinius se adiunxerat, philosophorum ab ineunte aetate studiosus ac fautor, et si ipsum audimus, apud Domitianum delatus, qui quidem nihil sibi ab eo metuendum esse intellexerat.

Occidit tandem Domitianus die XVIII. m. Septbr. a coniuratis confossus, non nescio, ut videtur, Nerva, qui cum iam antea imperii spem animo concepisset (Dio LXVII, 15) Proculum Larginum qui mortem principis praedixerat, pecunia donavit (Dio ib. 16), neque a philosophorum studiis, si Philostrato credimus, alienus. Tacitus quid egerit, ex iis efficiatur oportet quae de honoribus eius et aequalium innotuerunt. Atque Nervam ultimis eius anni quo imperator factus erat mensibus nihil mutasse consentaneum est, itaque consules extremi nundinii Catium Frontonem et Calpurnium Flaccum (C. I. L. III, p. 861, privil. vet. XVIII. *Borghesi* III, p. 380 sqq.) magistratu suo fungi libereque a Frontone nimiam quae tum exarserat ulciscendi cupidinem improbari passus est (Dio LXVIII, 1). Anno 97 ordinarius consul cum Caesare fuit L. Verginius Rufus tertium, vir magnus qui postquam a Flaviis imperatoribus propter suspicionem regni olim recusati gloria conflatam neglectus est, vicesimo septimo post alterum consulatum anno ad summum qui privatis concedebatur dignitatis gradum evectus est. Praeterea a. 98 princeps viros clarissimos viros Frontinum et, ut videtur, Vestricium Spurinnam (*Mommsen* Herm. III, p. 40) altero consulatu ornavit, quorum ille post mortem imperatoris in eius locum promotus Traiani collega consul ordinarius factus est (*Henzen* bullet. 1871, p. 145. ephemer. epigr. I, p. 194. C. I. L. priv. vet. XX. vol. III, p. 862). Qui cum *in toga* i. e. inter quinque viros a senatu ad levandam pecuniae inopiam electi egregie meriti essent (cf. Plin. paneg. 62), etiam tertium consulatum a. 100 adsecuti sunt, ac Frontinus post imperatorem facile princeps [1]) etiam genero Sosio Senecioni ad consulatum a. 99 nanciscendum suffragator extitisse putandus est (*Borghesi* VIII, p. 365 sqq.). Post hos a. vel 97 vel 98 consules suffectos novimus Domitium Apollinarem, Vettium Proculum cum Iulio Lupo, Tacitum. Qui quo modo in vicem exceperint, tum e morte Verginii tum e causa Publicii Certi colligatur oportet. Ac Tacitum quidem consulem laudatorem eloquentissimum Verginii publico funere elati extitisse Plinius II, 1 tradidit, quod honoris genus saepius claris viris tribui

---

indice Asiae proconsulem appellat. Recte *Waddingto* n. 124 et 130 utrumque Asiam pro consule rexisse statuit, Quietum filium eius, de quo Plinius tamquam mortuo loquitur, Hadriano imperante.

[1]) Apparet igitur Agr. 17 non coniungenda esse verba inter se vicina, quia Frontinus consul ordinarius et quidem Traiano absente solus non *fuerat* quantum licebat vir magnus, sed cum maxime *erat*.

solitum esse Dio LX, 27 et Quintilianus III, 7, 2 retulerunt. Tum autem Verginio post diutinam valetudinem a. 97 fere exeunte mortuo laudatorem extremo illius anni nundinio consulatu functum esse cum adhuc constans tulerit virorum doctorum opinio, nuperrime iuvenis doctissimus *Iulius Asbach* in egregia dissertatione Bonnensi (analecta historica et epigraphica 1878) p. 17 uno eodemque firmissimo argumento usus demonstravit Rufum etiam anni proximi initio inter vivos fuisse. Scilicet tertium consulatum Traianus statim postquam Nervae imperator successit a senatu delatum recusavit, idque non a. 99, quod e verbis quibus Plinius in paneg. 60 utitur *proximo anno* in oratione a. 100 habita colligas, sed a. 98 evenisse et universa narratione a c. 57—60 et ea praesertim causa efficitur, propter quam honorem Traianus recusasse videtur, quod *eum absens gerere non poterat*, Romam autem a. 99 prima fere aestate rediit (*Dierauer*, zur Geschichte Trajans p. 35). Nam de consulatu ordinario a. 99 agi c. 58 demonstrat. Nescio igitur an non recte *Renerius* ad *Borghesii* vol. VII, p. 456 Traianum a. 98 rediisse contenderit. Atqui, Plinius inquit, *erat in senatu ter consul, cum tu tertium consulatum recusabas.* Qui in tanta ter consulum paucitate non potuit non esse Verginius Rufus. Itaque eum principem quem ille *incolumem reliquit* ab eo cui in consulatu a. 97 gratias acturus erat, diversum eundemque esse, qui statim in eadem epistula designatur, etsi molestum esse non nego, tamen alium ac Rufum illo anno *summum fastigium privati hominis* non implevisse, recte ab *Asbachio* contendi concedo. Primum autem a. 98 nundinium cum principes ac Frontinus occupaverint, sequitur Tacitum aut altero aut extremo nundinio a. 98 consulem fuisse. Atque extremum cum *Mommsenus* Herm. III, p. 38. 90. Proculo Lupoque probabiliter adsignaverit, si quidem recte *Henzenus* cum *Borghesio* quadrimestres tunc consulatus fuisse adfirmat, altero inde a mense Maio ad K. Septembres. Apparet tur Tacitum non singulari praeter ceteros apud Nervam gratia floruisse atque in cursu honorum rite instituto paulo etiam quam expectari licebat serius promotum esse.

Erat igitur a. 97 consulatui propinquus sed inter praetorios sententiam ferebat, cum celeberrima de Publicio Certo cognitio in curia agitata est. Quam recte *Borghesius* VI, p. 363 et *Mommsenus* l. l. ad a. 97 retulerunt. Nam et Corellius Rufus, quem non diu post Domitiani tempora mortuum esse constat e Plin. I, 11, etiam tum inter vivos erat (cf. IX, 13, 6), et consulis designati mentione ib. 13 iniecta ad a. 97 reicimur. Atqui cum aliquantum temporis inter mortem principis, d. XVIII. m. Sept. 96 reditumque nobilium feminarum elapsum esset neque mense Octobri frequens senatus haberetur, ante mensem Novembrem causa agi non potuit. Tum autem ne si bimestria quidem nundinia fuissent, consules designati ulli relinquebantur, ordinarii proximi anni futuri erant Nerva et Rufus. Itaque die tantum IX. m. Ianuarii a. 97 Domitius Apollinaris, quem Plinius appellat, consul designatus est. Primis autem huius anni mensibus rem in curia actam esse inde consequitur, quod Mauricus amici ultionem haud dubie adiuturus nondum in senatum redierat. Itaque is consul, cuius nomen Plinius reticuit, in

Rufi, qui etiamsi valetudine non impediretur, tertio consulatu cito se erat abdicaturus (cf. *Borghesi* VIII, p. 579) locum successerat. Primis autem novi imperii mensibus idem accidit, quod post Neronis exitum (Plut. Galb. 8) et in Titi et Domitiani primordiis (Sueton. Tit. 8. Dom. 9) factum erat: in delatores humili loco natos saeviebatur, senatorii ordinis homines timebant quidem, ne ipsos quoque damnatorum propinqui persequerentur (Plin. I, 15), neque tamen ullum damnum passi erant. Interea reverterunt illustrium virorum necessarii, e septem illis quorum amicitia Plinius gloriabatur (III, 1, 43) tribus interfectis Mauricum antegressae duo saltem nobilissimae feminae [nam Gratilla, quae Rustici magis quam Helvidii propinqua videtur fuisse (Plin. III, 11, 3. V, 1, 8. Tacit. hist. III, 69 cll. *Mommsen* ind. Plin. p. 432 Epictet. dissert. II, 7, 8) utrum cum Maurico redierit necne non constat], quarum memoriam Tacitus in historiarum libro aliquo deperdito celebravit (cf. I, 3): Fannia Helvidii noverca, magni Thraseae filia, quae patrem a Nerone, a Domitiano privignum, a Vespasiano maritum occidi viderat (Plin. VII, 19), eius mater Arria, matrona pariter constans ac generosa, quae Claudio imperante a. 42 patrem socerumque Thraseae Caecinam Paetum necessaria, matrem voluntaria monte amiserat. Helvidii minoris vidua Anteia ad secundas quidem nuptias convolaverat, sed non imminuta cum affinibus amicitia coniungebatur. Quarum causa suscepta Plinius ultionem Helvidii aggressus est. Vehementi igitur oratione in senatu postulavit, ut de Publicio Certo praefecto tum aerarii praetorio viro, qui Helvidium accusaverat manumque ei intentaverat [1]), referretur. Res summa contentione agitata est, ab utraque parte oratores disertissimi surrexerunt, neque defuerunt qui mediam viam ingrederentur. Certus, etsi Nerva relationem non remisit (*Mommsen*, Staatsr. II, p. 839), tamen et munere praefecti et spe consulatus deiectus est. Inter tot autem facundissimorum virorum tam consularium quam praetoriorum voces una desiderata est: Tacitus patrum omnium eloquentissimus obmutuit. Non quasi recte atque honeste accusatorem agere negaret, immo indignam eorum qui Helvidium insectati erant violentiam acerbe carpit Agr. 45, sed prudenter agere non putabat, sicut Corellius ille *constantior cautiorque*. Scilicet tunc primum senatorem reum fieri animadvertit, quo velut signo ulciscendi dato verebatur ne *agmen reorum sterneretur* (cf. Hist. IV, 6.). Itaque neque defendere reum neque accusatoribus adesse voluit. Illud praestitit Fronto, Domitiano, a quo consul creatus erant, longe quam Tacitus gratior, sicut a. 100 Collega, a. 93 consul, molliorem de Mario Prisco sententiam tulit (Plin. ep. V, 20, 7). Prudenter quidem Tacitus et rei publicae utilius, neque aliter imperator sensit, cum relationem non remitteret. Sed erant quibus minus probaretur. Inter quos nescio an Mauricum ipsum numerem, quem Nervae lenitate offensum esse acerbissimi sales demonstrant, quos Plinius IV, 22, 4 repetivit. Certe tutor nepotum magistrum a Plinio, ab eodem neptis generum sibi vult commendari,

---

[1]) Idem ne Thraseae accideret amici metuerant (annal. XVI, 26), acciderat delatori famoso (hist. IV, 41).

Taciti, a quo hic ut bonum eloquentiae doctorem demonstret expetit familiarem fuisse non traditur (cf. I, 14, 2. II, 18 cll. IV, 13, 10). Nervae autem cum satis placuisset, a. 98 consul designatus est atque per aliquot annos multo cum honore in senatu remansit. Sicut consul laudatione Verginii e senatus consulto habita egregiam eloquentiae laudem meruit (Plin. II, 1), atque, sicut Plinius causas agere *gradatim desiit* (II, 14, 14), ita Tacitus, postquam advocationes senatorias Plinio et Albino reliquit, a privatis clientium negotiis non statim abstinuit atque cum in urbem fine autumni redierat, etiam senatui interfuisse putandus est. Hieme certe a. 102/3 *copia studiosorum ex admiratione ingenii ad eum conveniebat* (Plin. IV, 2, 10). Hanc enim epistulam illo tempore datam esse, facile intellegitur. Scilicet praefectura aerarii, quam usque ad a. 101 exeuntem gestam esse *Mommsenus* demonstravit, deposita Plinius ut prosoceri precibus satisfaceret (IV, 1) Comum profectus est, unde reversus Tacitum qui antea in urbem venerat, salutavit, ipse interea in Tuscano (sic scribendum esse vidit *Mommsenus* p. 53 an. 6) commoratus. Quod factum esse post ferias mensis Octobris a senatore consentaneum est. A. autem 106 cum candidatum quaesturae absens commendaverit (VI, 9) — nam a. 106 plerasque litteras libri sexti recte *Mommsenus* attribuit — tum quidem cessasse apparet. Medio quidem tempore neque publici neque privati officii mentio fit, neque orator ille qui *sponte beatissimo otio frui* dicitur a Plinio in epistula IV, 24, quae inter a. 102 et 104 scripta esse videtur, utrum Tacitus an Pomponius Bassus (cf. ib. 23) fuerit, decernere audeo [1]). Illo autem anno in historiis conscribendis iam fere ad Titi aetatem pervenerat (cf. VI, 16, 20. cll. VII, 33), itaque Vespasiani imperium totum iam enarraverat, quod ut perficeret, iis qui extant libris unum certe addere debuerat. Cum igitur inter annum 106 et a. 116 (cf. annal. II, 61. IV, 4), quo annales editi videntur esse, e triginta voluminibus viginti quatuor absolverit, i. e. singulis fere annis binos ternosve libros conscripserit, operis quod suscepturum se esse a. 98 professus erat (Agr. 3) strenue exequendi a. 103 initium fecit, atque praeterea et suas orationes et librum de arte sua perpolivit emendandosque Plinio misit, quos libros ab amico appellari cum *Haasio* puto neque ad historias pertinere. Eiusdem enim generis libros Plinius cum illo communicavit qui quam *opinionem cuiusdam eruditissimi* esse tradit VIII, 3, cui unus praecipue placuerit. Taciti iudicium retulisse videtur. Ceterum utrum nonnulli libri historiarum a scriptore, cum in urbem venisset, coram amicis recitati sint necne non constat. Contendit id quidem *Mommsenus* l. l. 107 prorsus ad illius aetatis consuetudinem accommodate, neque tamen pro certo affirmaverim. Qua enim recitatione et se et reliquos qui aderant vehementer commotos esse gravibus verbis Plinius narravit IX, 27, eam vereor ne non Tacitus habuerit, sed homo illius tantum laudibus celebratus (cll. inscr. *Orell.* 801) Titinius Capito, quem exitus virorum illu-

[1]) Quem *civilibus officiis principis amicitia exemit*, Licinium Suram fuisse suspicor, virum eruditum et disertum, Traiani amicissimum eiusque in bellis Dacicis comitem.

strium recitaturum esse brevi ante VIII, 10 annuntiaverat. Sed lectas esse a Plinio historias a. fere 108 vel 109 eiusdem libri IX, 16 epistula demonstrat, in qua cum amico quodam ita iocatur: *summam te voluptatem percepisse ex isto copiosissimo genere venandi non miror, cum historicorum more scribas numerum iniri non potuisse.* Scilicet recens a lectione belli Dacici loci meminerat, qui ab Orosio VII, 10 servatus est (cf. *Nipperdey* III, p. 182), quo Tacitus dixerat: *de reticendo interfectorum numero et Sallustium Crispum et alios auctores quam plurimos sanxisse et se ipsum idem potissimum elegisse.* Itaque illo anno historias fere absolverat.

Quod igitur a publicis officiis ab anno fere 102 abstinuit, haud dubie cum magno illo res Romanas narrandi consilio coniunctum est. Neque tamen otium ita capessivit, ut prorsus curiam urbemque relinqueret; nam usum se esse commentariis senatus ipse annal. XV, 74 tradidit, et quod ludis Circensibus in locis equestribus consedit (Plin. IX, 23), fecit quod omnibus senatoribus licuisse Dio C. LX, 7 retulit. Itaque quotannis fere in urbe quindecimvirorum nuncupationibus interesse ac tum temporis etiam curiam introire haud dubie solitus plerumque tamen in secessu libris conscribendis vacavit. Quod ut facere liceret, excusasse principi et consulibus absentiam videtur, quam veniam citra ullam offensam Traianus haud dubie tribuit. Nam qui etiam officiorum vacationem libens concessit (Plin. paneg. 87) [1]), senatorum libertatem non impedivisse putandus est.

Diversam igitur ab amico rationem Tacitus secutus est. Ille post consulatum adhibitus est in consilium principis, curam consularem gessit, provinciam rexit, usque ad mortem publicis muneribus functus est: idemque litteras numquam quidem non coluit, sed *variis*, ut ipse ait, *studiorum generibus se expertus plurima fecit mediocriter* (IX, 29): Tacitus publicis muneribus ad consulatum usque perfunctus re publica se abdicavit, atque in litteris *unum aliquid fecit insigniter*. Cum autem sicut in negotiis aversandis hac quoque in re Sallustium imitatus magno operi duobus libellis praeluserit eosque medio in cursu honorum, alterum consul designatus, statim post consulatum alterum ediderit, quaesitum est, an praeter eam quam ingenio inesse sentiebat divinam facultatem causa quaedam extra ipsum posita ad hoc studium eum impulerit. Ac fuere qui male quodammodo virum fortem audisse sibi persuaderent, quod nimis Domitiano acceptus gratusque fuisset, itaque vita Agricolae enarranda suam quoque vitam defendisse, idque eo consilio factum esse addiderunt nonnulli, ut tam Traiano quam Nervae probaretur nescio qua legationis consularis, in primis Germanicae cupidine incensum. Qua spe cum deiceretur atque libellum frigide ab aequalibus accipi animadverteret, taedio quodam rei publicae totum se otio et litteris abdidisse.

---

1) Praefectum praetorio quem a. 100 dimisit (pan. 86). Suburanum (sic enim scribit cod. Palm. Victor. epit. 13) fuisse puto; nam quae a Victore narrantur, ad initium imperii pertinere vocabulis ὅτε πρῶτον apud Dionem LXVIII, 16 demonstratur. Cf. *Hirschfeld* I, p. 224.

At vidimus non semper Domitianum genero Agricolae favisse sed mortuo socero eum neglexisse, neque post reditum e provincia praetorium ullum munus ei attribuisse, Nervam consulatum non statim sed integro anno intermisso dedisse, Traianum virum consularem in causa Marii Prisci dicentem non sine adsensu audisse, senatum industriam oratoris laudasse. Quid quod, si coniecturis indulgere licet, Agricolae genero Traianus privatus familiariter usus est. Unde enim nisi e familiari consuetudine Agricola Traianum tanti aestimavit, ut imperio dignum esse censeret futurumque imperatorem praesagio quodam ominaretur? Inter se enim qui mox ad summos honores promoti sunt, Nerva, Rufus, Frontinus, cum patre Traianus et, dum inter vivos est, Agricola ita videntur coniuncti fuisse, ut et ab insidiis delatorum et coniurationibus audacium hominum caverent, et quis labenti imperio subventurus esset, deliberarent. Praeter civilem seniorum prudentiam viri militaris industria et vigore opus esse consentiebant, eiusque aetate validi tantoque oneri suscipiendo paris. A quorum consuetudine gener Agricolae neque antequam in provinciam abiret, neque in urbem reversus Traiano paucis annis iunior prorsus videtur abstinuisse. Quae ut sunt incerta, cum maiore saltem veritatis specie proferuntur, quam quae de indulgentia Domitiani eiusque propenso in Agricolam animo coniciuntur. Magna expeditionem Britannicam apud aequales gloria floruisse, ut Dionem Cassium LXVI, 20 omittam, et Quintilianus et Martialis indicant, quorum alter ursos Caledonios Romam missos admiratur (de spectac. 9. 17. cll. *Stobbe*, Philol. XXVI, p. 62. 78), alter nunc iam insulam Britanniam demonstratam esse VII, 8, 2 adnotavit; quanto enim cum plausu decantatum e scholis argumentum sublatum esse existimas? Neque imperatorii principis tituli propter illas victorias iterati praetereundi sunt. Illud tamen constat, nullo Agricolam post reditum honore affectum esse. Provincia proconsulari invitus se excusavit, Dacico bello non novos tantum duces sed etiam veterem Vespasiani legatum Tettium Iulianum aetate aequalem (Tacit. hist. I, 79. II, 85), bellica laude inferiorem praefici non sine magno animi dolore cognovit. Neque falso Tacitus rumoribus vulgi illum ducem posci solitum esse retulit, acerbis enim salibus carminibusque famosis, ut nunc fere, plebem Romanam delectatam esse constat. Quod autem veneno soceri vitam abruptam esse scriptor non credidit quidem sed fuisse tradidit qui crederent, non vituperandum est. Imperatorem veneno dando non abstinuisse Dio LXVII, 4. cll. LXVI, 20 narravit, ac sunt nunc quoque Itali in tales suspiciones proclives: unum Franchium cardinalem e recentissimis exemplis attulisse satis erit. Quousque otium Agricola hauserit, admirabili arte gener adumbravit potius quam descripsit: unum vellem certius declarasset, quod pontificatus sacerdotio continetur. A. enim 91 vel 92, ut de Cornelia virgine maxima iudicarent, Domitianus *reliquos pontifices* convocavit et de consilii sententia vivam sepeliri iussit. Ac Senecio quidem Valerium Licinianum in eodem periculo pro parte virili defendit, atque cum confessum esse reum maestus nuntiaret vehementer haud dubie principis animum offendit (Plin IV, 11). Utrum tum quoque uni e parvo sacerdotum numero

Agricolae abesse ab iudicio licuerit an ille quoque triste virginis supplicium comprobaverit, non constat. Quod si fecit, stoicorum certe reprehensionem incurrit.

Post consulatum autem Tacito, si consilium historias scribendi distulisset, quid sperare licuit? curamne aliquam consularem? an provinciam quandam praetoriam e senatoriis sortiendam? exile sane summae oratoriae laudis et industriae praemium; an proconsulatum per quindecim annos, quo tum spatio fere a consulatu dirimebatur, expectaret? Nam legationem consularem magnosque exercitus imperator rei militaris peritissimus, quique iam longinquas expeditiones meditaretur, ei homini vix traditurus erat, qui ne uni quidem legioni praefuisset. Neque negaverim, pertaesum fortasse esse virum gravissimum levitatis et petulantiae senatorum, quam compluribus locis ab *Haasio* ad p. XII collectis Plinius conqueritur.

Ilos autem libellos cum medio in cursu honorum ediderit, sponte legentibus suboritur opinio, cum re publica ita fuisse aliquatenus coniunctos, ut auctor quid de condicione imperii sentiret quamque in rerum memoria rationem esset secuturus, indicaret. Levius est quod in vita soceri Frontinum, consulem ordinarium, virum magnum appellavit, gravius quod utrumque imperatorem, a quibus cum senatus dignitate libertas restituta erat, priore libello laudavit, alteri Traiani gratam mentionem admiscuit, gravissimum quod de universa re publica sententiam tulit. Quod duobus locis videtur fecisse, specie inter se simillimis, re diversis. Ut a Cimbris orsus usque ad suam aetatem Germanos vinci, non debellari Germ. 37 ita admiratur ut quam arduum opus a Traiano susceptum sit, tecte significet, ita c. 33 Bructerorum cladem dum commemorat, ad votum illud pronuntiandum defertur *maneat quaeso duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui*, prorsus eodem modo quo annal. III, 55 suae et antiquae aetatis comparationem de luxu mensae locutus his verbis concludit: *verum haec nobis certamina ex honesto maneant.* Neque aliter Livius XXVI, 22 memorabili virtutis et modestiae exemplo tradito *eludant*, exclamat, *nunc antiqua mirantes*, quem locum et annal. IV, 33 et fortasse hic quoque scriptor recordatus est. At vero non mediae narrationi adsperguntur quae Agr. 42 legimus: *sciant quibus moris est inlicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt.* Sententiam similem Seneca protulerat de tranquill. animi c. 3: *ut scias et in afflicta re publica esse occasionem sapienti viro ad se proferendum*[1]. Verum hanc ibi collocavit, ubi enarratam soceri vitam absolvit[2]. Nam iis quae sequuntur mors Agricolae describitur et comploratur. Itaque quae fuerit per vitam consecutus et quibus virtutibus etiam pessimis temporibus magnus vir extiterit, quasi summa subducta comprehenduntur. Professionem fidei hanc appellat *Walchius*,

[1]) Oratorium voti proferendi modum in orationibus reperiri, velut in oratione Thraseae ann. XV, 21 *maneat provincialibus* et in Plinii paneg. 31. *discat Aegyptus* non est quod moneam.

[2]) Cf. *Peter* ad h. l.

melius fortasse *Zellius* (Ferienschriften III, p. 98) memorabile praeceptum e re ductum (eine merkwürdige Nutzanwendung). Eadem verba moverunt *Gantrellium*, virum elegantis iudicii, contra stoicos proferri *Dubois-Gauchan* I, p. 478 contendit, non falso utique. Neque tamen satis, nisi fallor, attenderunt viri doctissimi, non magis cum proximo enuntiato quam cum universo libello sententiam coniungi, quam sic fere explere conabor. Quatuor virtutibus Agricola excelluit, industria et vigore quem in Britannia praecipue exhibuit, obsequio ac modestia quam per totam vitam ita praestitit, ut neque militiae fidem et obsequium falleret neque domi in curia modestiam laederet. Quod nisi fecisset, poterat quidem eam laudem adipisci, quam iactatione libertatis et gloriosa morte alii quaesiverunt, sed cum hi sine rei publicae usu inclaruerint, ille dum inclarescit simul rei publicae profuit. Quibus verbis non laudatur tantum Agricola, sed etiam defenditur. Nam fuisse haud paucos qui sicut speraverant fore ut cum exercitu a Domitiano deficeret, quem *ventorum* tarditatem expavisse Plinius irridet paneg. 68, ita Romae saevitiae domini fortiter eum obstiturum esse putarent, disertis verbis c. 40 extremo (cll. 39) traditum legimus. Eosque inter stoicae sapientiae studiosos plerosque fuisse et ipso quo hic utitur *ambitionis* vocabulo et tecta, quam per totum librum institui videmus, stoicae arrogantiae reprehensione indicatur. Ita c. 4 philosophiam a senatore Romano non funditus esse exhauriendam *modumque ex ea retinendum* esse pronuntiat, c. 8 soceri obsequium extollit, c. 9 famae etiam bonos indulgere queritur, c. 29 stoicorum ἀταραξίαν in vulneribus domesticis exhiberi monet (cf. Epictet. enchirid. 8. 15. 19. 33), a qua tam longe Agricola afuerit quam a muliebribus lamentis, quae a Quintiliano prooem. VI. effusa legerat. Atque in eadem sententia perstitit. Nam etsi lenius de stoicorum cynicorumque philosophia iudicat, tamen ann. III, 66 multorum *bonorum festinationem* reprehendit, *ambitiosam* Demetrii cynici *defensionem* notat hist. IV, 40, Helvidium patrem *famae adpetentiorem* esse tradit hist. IV, 5, Rustico, cuius *dignationem* hist. III, 80 extollit, ann. XVI, 26 *cupiditatem laudis* exprobrat, Thraseam *exemplar verae gloriae* (hist. II, 91), et *firmitudine animi et ne gloria intercideret* libere in senatu locutum esse refert (ann. XIV, 49. cll. XIV, 12); dubitat, *an liceat inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum* (ann. IV, 20), quique ita egerant, gravissimi exempli auctores admiratur, Lepidum Pisonemque (ann. IV, 20. VI, 10). Neque tamen idcirco viros sanctissimos non diligit ac veneratur, immo tanto illorum condemnatione dolore afficitur, ut reliquorum hominum illustrium, qui a Domitiano interfecti erant, praeter Civicam non meminerit, sed tamen adspersum innocenti sanguine senatum, non recreatum esse queritur. Iam vero, si quae de suae aetatis rationibus sentiebat quaeque recte se habere a socero didicerat — nonne autem recte ac prudenter iudicasse putas? — et in primo quem edidit novi generis libello et in magnis quae secuta sunt voluminibus pariter professus est, nisi quod vetus orator, in historia recens vehementiore quodam animi impetu concitatur: quae tandem causa excogitatur, cur quae prout res ferebat posterioribus in libris profiteri non destitit, eadem

in vita soceri nescio quo consilio extra rei veritatem collocato clamasse videatur? Quid enim illi aut socero cum Domitiani mortuis? quid cum delatorum calumniis et deformi assentatorum obsequio? quid denique nimiae gratiae ei viro, qui ab eo principe honoribus meritis non ultra praeturam ornatus est, a quo consulatum Helvidius Priscus acceperat?

Itaque nec defensionem edidit Tacitus nec vituperationem nec vero laudationem funebrem. Qui enim trecentos sexaginta milites et unum praefectum cohortis in proelio cecidisse retulit, is librum historiae scripsit. Ne librum quidem ex utroque genere mixtum ac satis male compositum. Si enim, ut hoc argumentis a *Güthlingio* prolatis unum addam, quandam futuri operis partem non cogitatione sed re et stilo Tacitus tum praecepisset, non victoriam a Suetonio Paulino reportata magnificis verbis exornanda, sed quae Vespasiano imperante a Ceriali contra Brigantes, magisque etiam quae a Frontino contra Silures fortissimos hostes praeclare gesta erant accuratius enarranda erant. Atque huius quidem res, quoniam absente Agricola exercitum rexerat, brevi laude perstrinxit, de Ceriali plura bis protulit, quia eius legatus Agricola fuit, in Paulini bellis narrandis longius evagatus est, quia et illius tribunus Agricola militaris gloriae cupidine incensus est et expeditiones contra Monam insulam contraque Boudiccae copias susceptae cum primo et ultimo Agricolae anno comparantur. Atque rerum memoria cum vita soceri arte neque ubique optime coniuncta librum conscripsit aequalium ad consuetudinem accommodatum. Scilicet in magna librorum historicorum quos illa aetas et ante Domitiani dominationem et post eius mortem effudit copia (per quindecim enim annorum silentium praeter infelices Rustici et Senecionis curas ac Frontini stratagemata nullum memoratu dignum opus innotuit), pauci historiam historico genere perscripserunt, ut Plinius, Cluvius Rufus, Fabius Rusticus, fortasse Messalla, multi non tam de rebus gestis quam de hominibus oratorio potius genere vel nulla arte adhibita de se ipsi egerunt. Ac tales quidem commentarios, ut vetera omittam, scripserant Corbulo (Plin. nat. hist. V, 83) Suetonius Paulinus (ib. V, 14), Mucianus, saepius a Plinio in naturali historia laudatus, Helvidius ipse aut uxor eius Fannia (Plin. ep. VII, 19). Quibus Agricolam addo, unde enim quae de consiliis legatorum vel tribunorum Agr. 25. 27, de proeliis, de numero interfectorum tam accurate tradita legimus, nisi e commentariis soceri hausta esse putas? Quae quidem neque dux neque scriptor memoria retinere poterat. Reliquit igitur heredi commentarios, quibus is sicut Helvidii libro Senecio in vitae narratione usus est. Ornatius alii bellorum civilium memoriam celebrarunt, Pompeius Planta (cf. *Mommsen* ind. Plin.), et fortasse Pompeius Saturninus, qui contionibus historiam illustravit (Plin ep. I, 16); alii quae ipsi vel propinqui paulo antea perpessi erant, enarrando diuturnum odium saturarunt, nulla *inter infensos cura posteritatis.* Tale Nonii Maximi opus videtur fuisse, in quo *ingenii simul dolorisque velis latissime vectus est* (Plin. ep. IV, 20), *pro se vel in Plantam* compositum et coram *multis* recitatum necdum emissum (ib. IX, 1). Ita Fannius *exitus occisorum aut relegatorum*

a Nerone inchoaverat qui iam a multis legebantur (Plin. V, 5), postea Titinius Capito *exitus illustrium virorum* (sub Domitiano) recitavit, quem librum Plinius cum *funebribus laudationibus* dum comparat genere diversum esse ostendit (VIII, 12), Plinium ipsum ad historiam scribendam adhortatus (V, 8). Qui libri omnes praeter Saturnini historiam aliquot annis primis Taciti libellis recentiores fuerunt, ac nescio an illius gloria excitati.

Nullum autem genus vitis clarorum hominum et propinquorum conscriptis frequentius fuit, nullum moribus Romanorum aptius. Nam habebant sane id cum laudationibus funebribus commune, ut ad genus laudativum quod in arte dicendi iudiciali et contionali addebatur, prope accederent. Cum enim iam in scholis *laudare claros et vituperare improbos* didicissent (Quintil. II, 4, 20), unam alteramve rationem in libris conscribendis secuti sunt, saepe utramque, ut Ciceronis, Fadii, Munatii Catoni Metellus Scipio, Caesar, Octavianus, Hirtius, postea Rustici Thraseae et Senecionis Helvidio Aquilius Regulus vituperationes rescripserunt. Porciam Bruti Cicero, Varro, Lollius laudarunt, rursus Caesarem peculiaribus libellis impugnarunt Varro, Curio, Caecina. Neque tum tantum, cum *nobilis virtus* laudibus digna esse videbatur, eundem honorem mortuis tribui videmus, immo Seneca Polybio in consolat. 37 ilico suadet ut fratris mortui vitam scribat, Anteius Ostorii Scapulae iunioris amici vitam conscripsit (Tac. ann. XVI, 14), Plinius maior Pomponii Secundi (Plin. V, 3), Iulius Secundus Iulii Africani (? dial. 4), Claudius Pollio Annii Bassi (Plin. VII, 31), Plinius iuvenis Cottii (III, 10 [idem Quintiani vitam cogitat IX, 9]), Regulus filii (id. II, 20. IV, 2. Martial. VI, 38). Quod igitur Tacitus socero praestitit, et ante et postquam officio satisfecit, multis a multis datum est. Iam vero hi libri ad laudativum genus referuntur a veteribus neque immerito. Sequuntur enim eas leges quas in laudationibus oratoriis observandas esse Quintilianus docet III, 7, 10 sqq. *Alias enim aetatis gradus gestarumque rerum ordinem sequi* vult laudatorem, *alias in species virtutum dividere laudem.* Utrumque modum coniunxerunt qui non orationem, sed vitam scripserunt, cuius generis praeter libellum nostrum optimum exemplar legimus Xenophontis Agesilaum, e Romanis scriptoribus Cornelii Nepotis Atticum, si quae de situ Britanniae narrantur exceperis, simillimum Taciti. A pueritia et parentibus orsus usque ad caput decimum quae egerit quaeque pericula subierit Atticus, enarrat, ita ut etiam a vituperatione defendat his verbis quae cum Agricolae c. 42 velim comparentur: *a nonnullis optimatibus reprehendebatur, quod parum odisse malos cives videretur.* Deinde a c. 10 singulas virtutes Attici enumerat, de quibus elegantius Tacitus disperse ac diffuse locutus est; postremo adsurgit Nepotis sermo ad imaginem mortis illustrandam, quam oratione viri sapientissimi exornat, eamque verbis Tacito dignis *tanta constantia vocis atque vultus* habitam esse refert, *ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare,* et sunt etiam alia Taciti argutiarum similia, velut c. 11: *hos malebat ulcisci quam oblivisci,* alia magis etiam orationis in speciem conformata, velut collatio illa, quam e Ciceronis oratione pro Murena c. 2

Quintilianus V, 11, 23 affert, a Taciti sermone aliena ad Nepotis c. 10. similitudinem proxime accedit.

Quorsum haec attuli? nempe ut generis laudativi leges formamque ab eloquentia ad historiae rationes a scriptoribus vitarum translatas esse comprobem, quibus etiam orationes inclusas esse exemplo Nepotis demonstravi. Sic etiam Thraseam apud Rusticum verba fecisse existimo, eaque gravi orationi quam apud Tacitum legimus, non dissimilia. Tacitum vero, oratorem eloquentissimum, plura e sua arte in historiam recepisse quis miretur? Ita et repetita narratione (cf. Quintil. IV, 2, 128) Suetonii Paulini et Cerialis expeditiones bis commemoravit et egressione (ib. IV, 3, 12) *descriptionem regionis* c. 10 sqq. et *expositionem quarundam rerum gestarum* c. 28 addidit, apostrophe sive adlocutione usus est, quam in nullo non prosae orationis genere reperiri adhibitam praeter locos antea laudatos Val. Max. VIII, 2, 14. Seneca de clement. I, 25. Plin. XXXVII, 203. Quintilian. prooem. VI, 12. X, 1, 92 ostendunt, virtutes aptius inter diversos libelli locos distribuit, modestiam c. 4. 7. 8, pietatem c. 6. 45, comitatem c. 9. 26, integritatem c. 9, 6, iustitiam c. 19, prudentiam c. 21 rell.

Verum tamen haec e rhetorum praeceptis adsumpta suoque usu comprobata ornamenta, quibus diversi quoque generis scriptores usos esse exemplis demonstravimus, non ita usurpavit ut formam speciemque libri historici cum oratione commutaret, sed ad historiam scribendam adhibuit. Cum enim ad novum genus se converteret, non oratores imitandos sibi proposuit, sed quos puer legerat (cf. Quintil. II, 5, 19) Livium et Sallustium. Atque hunc quidem in disponendo opere sicut in narratione, quod ab *Eussnero* animadversum est, accurate secutus est. Utrumque librum cum Agricola quaeso compares.

Agricola.	Catilina.	Iugurtha.
c. 1—3. De se et vitarum genere loquitur.	c. 1—4. De se et historia loquitur.	c. 1—4. De se et historia loquitur.
		c. 5. Alterum prooemium.
c. 4. Iuventus et ingenium.	c. 5. Iuventus et ingenium.	c. 6. Iuventus et ingenium.
	c. 6—14. Egressio.	
c. 5—9. Initia, cursus.	c. 15—19. Initia, cursus, coniuratio.	c. 7—16. Initia, cursus.
c. 17. Egressio de Britannia.		c. 17—19. Egressio de Africa.
in qua	c. 20—27. Oratio prima. Narratio.	c. 20 sqq. Narratio.

Agricola.	Catilina.	Iugurtha.
c. 15. Oratio obliqua.	c. 27. Oratio obliqua.	c. 23. Oratio obliqua. Narratio.
		c. 31. Oratio Memmii.
c. 18—23. 25—27. Narratio.	c. 28—37. Narratio.	c. 32—77. Narratio.
c. 24. Egressio de Hibernia.		c. 41—42. Egressio.
c. 27. Oratio obliqua.	c. 31. 34. 44. Oratio obliqua.	
c. 28. Egressio de Usipis.	c. 38—39. Egressio.	c. 78—79. Egressio.
c. 29. Narratio.	c. 39—50. Narratio.	c. 80—84. Narratio.
c. 30—34. Orationes ducum.	c. 51—53. Orationes senatorum. c. 58. Oratio Catilinae.	c. 85. Oratio Marii. c. 102. Oratio Sullae. c. 110. Oratio Bocchi.
c. 35—38. Proelii descriptio.	c. 59—60. Proelii descriptio.	c. 89 sqq. Belli narratio. c. 101. Proelii descriptio.
c. 40—43. Finis. [c. 41. Ceterorum ducum ignavia.]	c. 61. Finis.	c. 103—113. Finis. c. 41. [Ceterorum ducum ignavia.]
c. 45—46. Epilogus.		

Nonne praeter epilogum omnia, quantum res ferebat, simillima reperies? His si addideris, etiam in sermone quodam suo referendo Sallustium praeivisse (cll. Agr. 24 = Catil. 48), et dicendi genus ad Sallustianum proxime accedere [1]), recte me olim librum Taciti historicum appellasse largieris. Neque tamen hoc ita dictum volui ut vitam conscriptam esse negarem: hoc dicebam, vitam sic compositam esse ab altero Sallustio, ut non hominis unius ingenium solum depingeret, sed simul rerum ab illo gestarum memoriam cum decessorum laude, cum hostilium morum descriptione, cum saeculi condicione coniungeret. Quod autem, si quae fortasse

[1]) Iis quae nuper collegeram exemplis haec addi possunt: c. 1. *virtus vicit — invidiam* = Iug. 10. *gloria invidiam vicisti.* c. 4. *quod est difficillimum* = Iug. 7. *quod difficillumum in primis est.* c. 10. *quod difficillumum inter mortalis.* c. 5. *de salute, mox de victoria certavere* = Iug. 94. *pro gloria . . his, illis pro salute certantibus.* c. 8. *placidius* = Catil. 39. c. 9. *et statim* = Iug. 9. *statimque.* c. 13. *velox ingenio mobili* = Iug. 46. 66. *ingenio mobili.* 91. *genus hominum mobile.* c. 16. *Britanniam agitavit disciplina* = Catil. 9. *imperium agitabant* cll. Iug. 41. et passim. c. 19. *nec poena* rell. = Catil. 9. Iug. 15. c. 20. *multus in agmine* = Iug. 45. c. 22. *avidus* = Iug. 63. *gloriae avidus.* 94. *laudis avidi.* Catil. 7. c. 27. *illi* = Iug. 27. *idem illi* 33. c. 33. *clamoribus dissonis* = Iug. 98. *strepere vocibus.* c. 36. *minimique equestris* (?) = Iug. 59 *non, ut equestri proelio solet.* c. 37 = Iug. 51. 97. c. 45. = Iug. 14.

in soceri moribus minus plerisque probabantur, velut c. 22 iracundia, ea obiter attigit, secutus est quasi legem quandam illius generis, quod laudativum esse etiam Plutarchus observavit Cimon. 2, atque cum epilogum pulcherrimum vitae addidit, non ille quidem solus orationis formam in aliud genus transtulit (satis enim est Plinium maiorem commemorasse), sed tamen oratorem se esse meminit.

Itaque sive elogium historicum cum *Thoma* et *Gantrellio*, sive laudationem historicam cum *Arztio* (eine historische Lobschrift) appellare libet, id tamen recte pronuntiari puto, librum esse ad exemplar optimorum auctorum integrum ac bene compositum, eumque historicum de vita et moribus Agricolae.

Quem mirum sane esset si aequales, quos vel mediocribus libellis delectari solitos esse a Plinio docemur, non praestantissimum esse intellexissent neque omnino sive admirati sive imitati essent. Ac primum quidem non forte factum esse putaverim, ut totum genus vitas scribendi intermortuum Domitiani saevitia, recuscitaretur et multis, postquam Taciti liber emissus est, libellis coleretur. Tum etiam ab uno certe oratore magni habitum esse Plinii imitatione demonstratur, cuius panegyricus multa sane habet quae fortasse casu quodam libelli Tacitini speciem prae se ferunt, nonnulla tamen quae librum ab amico scriptum videntur imitari veluti c. 27 *miscuisti res diversissimas:* = c. 3. *res olim dissociabiles miscuerit* c. 29. *annus — deficiunt* = c. 31. *ager et annus in frumentum* cll. c. 19. c. 36. (fisci) *mala causa numquam est nisi sub bono principe* = c. 43. *a bono patre non scribi heredem nisi malum principem.* c. 48 *ut solitudinem faceret* = c. 30. *ubi solitudinem faciunt.* c. 76 *ad reverentiam componebatur* = c. 42. *in arrogantiam compositus.* c. 93. *manet manebitque* = c. 46. *manet mansurumque est.*

Ceterum si maxime ab aequalibus posterisque liber Taciti neglectus esset, quem tamen non se solum magni facere Plinius (IV, 15, 1) retulit et testamenta ostendunt, idem quod libro de Germania composito accidisset. Neque Sallustii libellos propterea parvi habitos esse putaveris, quoniam nonnullis aequalium displicebant.

Borghesium dum commemoramus, quam ille instituto archaeologico ingenii et consilii lucem porrexerit, meminimus. Artem autem epigraphicam Latinam, quam *Marinio* mortuo iacentem ille erexit, erectam certis legibus ab opinionis arbitrio seiunxit et stabilivit, post immaturum *Kellermanni* obitum prae reliquis a duumviris illis, qui olim nominabuntur, nunc intelleguntur, admirabili diligentia et doctrina tractatam et ad universam antiquitatem illustrandam adhibitam, ab instituto potissimum archaeologico tot tantorumque monumentorum copia ali solitam, egregiis dissertationibus illustratam, iussuque illius novo etiam ephemeridis instrumento auctam esse quis nescit? Quae igitur ab eruditis hominibus omnino meritis laudibus praedicantur, ea nos quoque lubentes agnoscimus. Semisaecularia rite et feliciter celebrari vobiscum laetamur atque ut saecularia aliquando posteri nostri cum vestris laeti gratique celebrent, ex animi sententia exoptamus.

D. d. XVI. m. Aprilis MDCCCLXXIX.

SEP 25 1884

Lt 1.961
Commentatio de Vita et honoribus Ta
Widener Library 006798829
3 2044 085 236 537